

II

MOHILOVIENSIS

DIVISIONIS ET ERECTIONIS NOVI VICARIATUS APOSTOLICI « DE FINLANDIA »

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Inter alias supremi Pastoris sollicitudines, ea semper fuit, ut dioeceses nimis amplae pro aptiori animarum cura et administratione dividerentur, praesertim quum vel ipsa temporum locorumve adiuncta id suadere, aut postulare viderentur.

Quum vero ad consulendum utiliori ecclesiastico regimini Finlandiae regionis, quae usque nunc ad Archidioecesim Mohiloviensem pertinuit, expediat maxime, et tempora modo permittant, ut haec regio a praedicta Archidioecesi seiungatur; Nos, omnibus mature perpensis, habitis secundis suffragiis venerabilium fratrum Achillis Ratti, archiepiscopi titularis Naupaetensis, Nuncii Apostolici in Polonia, atque hodierni Metropolitanæ Mohiloviensis, nec non de consulto Sacrae Congregationis Consistorialis, memoratum territorium Finlandicum per praesentes litteras ab archidioecesi Mohiloviensi Apostolica auctoritate separamus et in novum distinctum Vicariatum Apostolicum erigimus, *de Finlandia* nuncupandum, qui Sacrae Congregationi de Propaganda Fide plane subijciatur.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum interest, vel sua interesse praesumant, auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, etiam si expressa, specifica et individua mentione digni sint, nullo umquam tempore de subreptionis aut obreptionis, vel nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas existere et fore. suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac decernimus.

Non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum dispositionibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius in ecclesiastica dignitate constituti munitis, adhibeatur eadem prorsus fides in iudicio et extra illud, quae eisdem praesentibus litteris adhiberetur, si originaliter forent exhibitae, vel ostensae.

Nemini ergo liceat quae hisce Litteris Nostris statuta sunt infringere vel eis ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum Eius, se noverit incursum.

Datum Romae apud sanctum Petrum, anno Domini millesimo nonnongentesimo vigesimo, die octava mensis iunii, Pontificatus Nostri anno sexto.

O. CARD. CAGIANO

S. R. E. Cancellarius.

✠ C. CARD. DE LAI

Episcopus Sabinensis

S. C. Consistorialis Secretarius.

Raphaël Virili, *Protonotarius Apostolicus.*

Lodovicus Schüller, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ plumbi